

Tatetius.  
Praedica.  
astronom.





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-538358-p0002-3

DFG

*Cork*

# PRÆDICTIO ASTRONOMICA DELIQVII LVNARIS

*Ad*

Anni 1686. diem 29. Novembris, stylò novò.

*Pro*

## WRATISLAVIÆ Horizonte

*Ad*

Hypotheses Andreæ Tacquet, Soc. JESU è Riccioli  
partimque Lansbergii Supputata tabulis, ad complures Eu-  
ropæ præcipuarum Urbium Meridianos reducta.

*Item*

Observatio Deliquii Lunæ totalis Anni 1685. die 10.  
Decembris Wratislaviæ alibique locorum celebrata, ac in  
lucem edita,

*Per*

## JOANNEM CAROLUM TATETIUM

Silesium Oppolensem AA. LL. Magistrum, SS. Theo-  
logiæ Studiosum & Astrophilum.

---

Typis Monasterii Olivensis Sacri Ordinis Cisterciensis.  
Imprimebat JOANNES JACOBUS TEXTOR.

Petri Bruckler  
aeronauta



PERILLUSTRI, ac REVEREN-  
DISSIMO DOMINO,  
**DNO. MICHAELI**  
**ANTONIO HACKI,**

Divinà Vocatione Abbatii Mona-  
sterii B. V. M. de Oliva, Sacri Ordinis Ci-  
sterciensis, SS, Theologiæ Doctori, Protonotario Apo-  
stolico, S. Regiæ Majestatis Cameræ Intimo Secretario, &  
Generali Porteriorum Prussiæ Commissario,

Domino Patrono Colendissimo.



**M**odo Magister Aristoteles inquit, Astronomia bonò ni-  
bil unquam majus Mortalium generi datum est  
Deorum munere neque dabitur. Felicissimos igitur  
Astronomos, quibus maxima nimirūm arcana mundi,  
ac naturæ miracula scire concessum est, etenim ex equi-  
cursu, Lunæ magnitudinem, ex deliquio Lunæ telluris formam sphæ-  
ricam, ex astris globi terrauei profunditatem, ex quadrato Lunæ  
aspectu, ad solem distantiam, quis inferet amabo? terræ machinam  
viribus unius Hominis in altum elevari posse, aut arenularum usque  
ad firmamentum numerum, unitate & si. nullis scribi, ac exprimi  
posse, quis veritatem agnoverit obsecro? hæc tamen Astronomis luce  
clariora

clariora. Ostendere dari lineas finitas, quarum impossibile sit reperire mensuram etiam divinitus, post mille annos, imò ac æternū eventura, Solis Lunæq; prævidere deliquia, ad datum quodlibet horæ minutum, Luna aliudve sydus, quo in punto coeli futura sit præscire, universæ terræ provincias, maria, urbiumq; distantias, aut sydera in globo ad vivum repræsentare, igniti Solis intueri faculas, Comites Jovis invisibiles, aut ocluagesies majorem per telescopia contemplari Lunam, ejusq; maculas, profectò pulcherrimum. Ob inennarrabilem itaque Astronomiæ elegantiam, non mirum est ab Aegyptiis scientiam Astronomicam, ne in aquis diluvii periret, columnæ æneæ inclusam fuisse. non mirum jam Thaletem Milesium, primum ob Astronomiæ peritiam inter septem Sapientes electum fuisse, nec mirum amplius Reges ac Magnates tot, aut ipsum D. Magnum AUGVSTINVM in studio astronomico aliisq; scientiis mathematicis mirè sese exercuisse. Quamobrem perquam appositè facturus mihi videor, si perexiguum hoc laboris mei astronomici specimen, sub Auspicio celeberrimi Nominis tui, Perillustris ac Reverendissime, Domine Abbas. in lucem protulero. Non sum enim nescius, Te inter complures scientias & artes, quarum peritia præfulges, etiam Astronomiæ peritiori cognitione instructum, adeoq; idoneum Judicem esse, qui de toto Astronomiæ, nec non meæ prædictionis certitudine pronuntiare valeas. Accipe igitur Reverendissime Præsul plenò affectu, Lunæ meæ in sua plenitudine deliquum, in quo si calculus meus non deliquerit, ejus cum cœlo consensum, non minus meis tabulis, & diligentiae, ac tuæ Sacratioris Olivæ influxui tribuendum putabo, futurus deinceps, non tam syderum, quam Tui Perillustris ac Reverendissime, Domine, Nominis

Cultor & Observator perennis ac  
obsequentissimus Servus

Johannes Carolus Tatetius

§ I.

*Unde oriatur Lunæ Deliquium?*

**E**X Lunæ phasibus , manifestum est, Lunam non propriò, sed à sole sibi concessò lucere lumine, hinc luna ob globum terraqueum , cum interdum à Sole illuminari nequeat, oportet ut etiam fulgentissima exspiret, ac deliquium sive lucis defectum patiatur. Constat proinde lunam globò terraqueò longè minorem cum ob illum ipsum spatiò ferè duarum horarum Luna totaliter lumine privari possit , solisque corpus luminosum terræ mole majus sit. Constat 2. nisi tempore plenilunii veri, cum Sol terra, ac luna, in unam concurrunt Lineam , aut saltem in idem planum , posse lunare contingere deliquium. Constat 3. lunares Eclipses , cum naturaliter , ac quidem ob motum Solis ac Lunæ necessariò cogantur evenire, grande significare nihil. Frustranea igitur Astrologorum opinio, qui ex Lunæ deliquiis secutura bella, discordias Principum, mortem Regum, pestem ac morbos ominantur, licet enim astra, primariò Sol ac Luna in sublunaria influant, per id tamen quod luna solaribus orbetur radiis , adhuc per suam qualitatem humidam influere non impeditur. Nec est ratio cur in hoc loco contingat pestis aut bellum & non in alio, cum tamen in utroque idem eveniat deliquium. De Cometis Fateor longè aliter sentiendum , hi enim licet naturaliter, contingenter tamen ex effluviis planetarum (Lunæ semper altiores) generantur, ac mortalibus ut experientià compertum est, eventura mala prænuntiant. Quapropter dum deliquium Lunæ eventurum ab Astronomis prædictitur nulli formidandum est, sed luna liberrimè conscienda, ut pateat veritas, an ferè dimidia , uti nos in præsenti prædicimus, an verò longè major lunæ pars, ut plurimi Astronomi & Calendariographi sentiunt, obscuranda sit.

§ II.

*Quò Horæ minutò initium deliquii Lunaris eveniet, quanta pars lunæ obscurabitur, ac quamdiu deliquum sit duraturum, typus item eclipseos exhibetur.*


**S**ciendum est Lunæ deliquia esse universalia, id est ubique locorum ejusdem apparere magnitudinis, durationis, ac unò eodemque prorsus momentò initium lunaris deliquii, omnibus populis, ferè dimidium terræ globum inhabitantibus apparere. Cùm autem hoc lunæ deliquum, circà noctis dimidium eveniat, ac Sol è diametro, non adeò procul à puncto Solstitii hemicalis distans reperiatur humilissimus, consequens est lunam fore altissimam, ac idcirco toti Europæ hanc Eclipsim fore conspicuam. In quavis igitur urbe nimirum Romæ, Dantisci, Parisiis, Constantinopoli, Bononiæ, Viennæ, Venetiis, Ambsterdami, Norimbergæ, Pragæ Oloriutii, Lipsiæ, Madriti, Cracoviæ, Thorunii, Wratislaviæ, Oppolii, Brigæ &c. Luna nec quidem perfectè dimidia obscurari videbitur. Ipsumque Lunæ deliquum ubique locorum nonnisi Horis 2. minutis 34. & 8. secundis duraturum. Id tamen diligentissime observari velim i. licet per tubos Opticos modicè minor lunæ pars obscurari videbitur, nudis tamen oculis major lunæ pars obtenebrata judicabitur. Ratio est, quia cum lunæ partiale contingit deliquum, totò tempore luna duplici moratur in umbra, ac extrà discum umbræ legitimum, in lunæ transitu, adhuc umbra spuria communiter ad duos digitos (subinde ac ultrà) sese extendit. Unde patet cum Astronomus Lipsiensis D. Kirchius extabulis Rudolphinis, item Argolus, & ex illo multi Calendariographi, digitos 7. & dimidium ab umbra legitima obscurandum prædeterminent, oportet ut nudis oculis digitii vix non 10. obscurati appareant, ac exigua tantum Lunæ particula splendeat lucida: quod

quod si autem apparitura est lunæ pars lucida utcunque notabilis, inde evidens futurum est illorum erroris indicium. Observandum est 2. ipsum lunæ deliquum fere dimidiâ horâ ob umbram spuria m diutius duraturum, quām suprà predictum est, illud tamen intervallum temporis, quò Luna spuriè initio ac fine eclipsari solet, pro deliquio, ab astronomis non agnoscitur. Ex dictis igitur satis constat, qui Astronomorum errorē, aut rectitudinem scire desiderat, ut genuinum eclipses initium, ac partem lunæ obscuratam à lucida rite discernat, illum tubo opticō instruētum oportet esse. Observandum est 3. Licet per omnes urbes, unò eodemque prorsus momento initium, dum luna spoliari luce incipit, appareat in horologiis tamen sonantibus. in Horis ac minutis discrepantiā propter diversum in globoterraquo meridianorum situm reperi oportet. Wratislaviæ igitur, item Francofurti ad oderam ac Viennæ Austriae, unò eodemque momento ( nam hæ urbes sub eodem meridiano sitæ sunt ) legitimæ initium eclipses, Hora II. minutò 16. & 57. sec. P. M. eveniet, tempore apparteni, 29. Novembris, die Veneris ast spuriæ eclipses initium quadrante horæ citius, nimirum mox post Horam II. erit spectabile. Medium eclipses, ubi Luna maximè obscurabitur, in præfatis civitatibus eveniet h. 12. 34. min. & 1. sec. Finis h. 1. 51. min. pr. 5. sec. civiliter die 30, Novembr. A. M. terminabitur. à spuria tamen eclipsi Luna primo post horæ quadrantem erit libera, suoq; splendore pristinò totaliter adornata. Dantisci veri deliquii conspicetur initium horâ II. 20. min. 21. sec. tunc enim per telescopium primò Luna denigrari videbitur, licet spurius deliquii color nudis oculis horæ quadrante citius apparuerit finis deliquii veri Hora I. 54. min. 29. sec. Sed spurius quadrante horæ tardius eveniet. Oppolii in patria mea initium accidet hor. II. minutò 19. sed spurius deliquii mox post horam II. nudis oculis initium apparet. Finietur ibidem eclipsari Luna mathematicè

Horâ



h. i. minutò 53. sed vulgariter brevi post horam secundam.  
 Brigæ conspicietur initium h. II. & 18. min. Finis h. I. 53.m.  
 Pro aliis urbibus Europæ, statuere initium. In longum foret  
 quivis enim Astronomorum id facillimè peragere potest,  
 adhibita vel dempta ad meridianum Wratislaviensem debitâ  
 differentiâ. Et hæc generaliter pro omnibus, cætera pro  
 Astronomis. Plenilunium verum tempore æquali Wratis-  
 laviæ h. 12. 42. min. 19. sec. eveniet nam eò tempore locus  
 ☽ verus est in 8. gradu 13. min. 27. sec. ♡. D. locus verus in  
 8. gradu 13. min. 27. sec. ut prodeat tempus apparet, æ-  
 quatio temporis juxta demonstrationem P. Tacquet suppu-  
 tata addenda foret tempori æquali, nimirum 10. min. 52. sec.  
 quam tamen non addidimus ut rationem ex §. 3. lector col-  
 liget. Anomalia ♡ coœquata reperitur 9. signorum 28. grad.  
 4. min. pr. Semidiometer umbræ iusta 39. min. pr. 52. sec.  
 Semidiometer ♡ 15. min. 41. sec. Distantia ♡ à nodo 8. gra-  
 duum 0. min. 49. sec. Latitudo ♡ vera 41. min. pr. 42. sec.  
 nimirum tempore pleni lunii veri. nam perpendicularis ad cen-  
 trum umbræ ducta BA. (inspiciatur figura) est 41. min. 32.  
 sec. Scrupula deficiens 14. min. 1. sec. maxima in punto B.  
 obscuratio di-  
 gitorum 5. 29.  
 scrupulorum.  
 Scrupula di inci-  
 dentiae BD. 36.  
 min. 53. sec.  
 motus horarius  
 ♡ à ☽ 28. min.  
 43. sec. dimidia-  
 clipseos duratio, h. 1. 17. min. 4. sec. arcus CB. differentia  
 nimirum inter plenilunium verum & momentum obscura-  
 tionis maximæ 3. min. 58. sec. cui competit intervallum tem-  
 poris 8. min. 17. Sec. quo spatio vera, obscurationem ma-  
 ximam



eclipses duratio, h. 1. 17. min. 4. sec. arcus CB. differentia  
 nimirum inter plenilunium verum & momentum obscura-  
 tionis maximæ 3. min. 58. sec. cui competit intervallum tem-  
 poris 8. min. 17. Sec. quo spatio vera, obscurationem ma-  
 ximam

ximam subsequitur eclipses igitur legitimæ duratio 2. h. 34.  
min. 8. sec. Alii Astronomi & Calendariographi pluri-  
mi durationem trium horarum & ultrà determinant, adeoq;  
cum spuria simul eclipsi supputaneo, Horis semiquatuor, de-  
liquum universum duraturum statuunt. Sed cum anno  
1685. die 10. Decembris illorum prædictio, insigniter ab ob-  
servatione discordaverit, non mirum si in iisdem fontibus ac  
principiis hærentes, iterum à vero deviaturi sint. Porrò hic  
speciale Astronomis notandum occurrit, ut quam maximâ  
sedulitate semidiametrum umbræ apparentem in hac eclipsi  
investigent, nam rarissima occasio est, ut in plenilunio luna  
ferè dimidia obscurata, compareat. Ex eclipsi namque, quæ  
6. digitorum est ( legatur Ricciolus in Almages lib. 4. de C  
pag. 218.) deducere possumus angulum maximæ latitudinis C  
in gratiam parallaxium, quò habito, primò sciuntur C paral-  
laxes, corrigitur C ac ☽ motus, scitur certa ad solem aliosque  
planetas distantia illorumque magnitudo &c. licet enim  
nostræ tabulæ semisextum digitum prædicant eclipsandum,  
cum tamen arduum dijudicare sit, ut ipse fatetur Ricciolus,  
an insensibiliter minor C pars, an dimidia tantum, aut mo-  
diciissimè ultrà, eclipsata sit, partim & propter ipsam penum-  
bram: inter ipsos observatores nihil certius erit controversia.  
Phases ac quantitas eclipses, ope trium macularum in luna  
reperibilis est, umbræ diameter, ope specierum aliisque modis  
quos ad fert Ricciolus in Alm. libr. de eclipsib. investigari pote-  
rit. Initium ac duratio deliquii ex altitudine fixæ deducen-  
dum. Pro illo autem tempore oportet habere hæc nota, ascen-  
sionem ☽ rectam, quæ erit 246. grad. 26. min. 52. sec. Decli-  
nationem item & Ascensionem rectam fixæ stellæ, cuius ca-  
pta altitudo est. In præsenti serviet nobis Canis minor, cuius  
declinatio ex Ricciolo deducta erit 6. gr. 1. min. 38. sec. ascen-  
sio recta no. gr. 45. min. 14. sec. Oculi tauri declinatio erit  
15. gr. 50. min. 55. sec. ascensio recta 64. gr. 35. min. 5. sec. Luna  
**WRATI-**

Wratislaviæ, directè versus meridiem apparebit parvula, dum eclipsabitur, ac prope verticem altè rubicunda erit conspicua. Quanquam præcepta Astrologiæ nos multoties fallant ex illis tamen auram in hac eclipsi divino vix fore serenam, nam cum circà Plejades & Hyades luna versatur, ibidem communiter turbulentum & pluviosum esse solet, Opto tamen, faciat faveat, ille, in cuius ortu cometam fulgentem, & in occasu Solem lugentem vidimus.

### §. III.

*Observatum Wratislaviae ð deliquum Anni 1685. die 10. Decembris quò horæ minutò evenerit, ac quamdiu duraverit, item Astronomorum prædictio ab Observatione quantum deficerit expenditur.*

Luminarium deliquia habitis instrumentis non tantæ artis est, observare, ac eadem calculare orbiq; prædicere & ad unguem tangere. Illam itaq; ð eclipsim pro die 10. Decembris divinavit Argolus duraturam horis 4. 9. min. pr. 16. sec. moram ð in umbra, sive lunam totaliter obscurandam divinavit hora 1. & 57. min. 37. sec. Viennensis Calendariographus è Societ. J. prædixit immersionem sive intervallum temporis dum luna verè obscurari incipit, donec tota totaliter lumine careat futurum horà 1. & 17. minutis primis. Clariss. D. Kirchius ex tabulis Rudolphinis prædixit Wratislaviæ initium, h. 9. min. 29. durationem autem solius, legitimæ eclipseos (nam cum spuria adhuc longiorem fatetur) 4. h. & 20. min. moram in umbra. Horis 2. & 7. minutis pr. Nos prædiximus Wratislaviæ initium eclipseos genuinæ h. 9. 59. min. pr. 48. sec. P. M. immersionem duraturam horà 1. 6. min. pr. 20. sec. moram ð in umbra, sive totaliter obscurandam prædiximus h. 1. 40. min. pr. 26. durationem legitimæ eclipseos h. 3. 53. min. 6. sec. Norimbergæ autem sunt elegansissimi duo Astronomi, unus Nobiliss. D. Wurzelbauer alter ignotò nomine, qui illud deliquum ð accuratissimè ambo tam pro se seorsim observarunt, ac uterq; in lucem ediderunt. durationem eclipseos (quæ ubique locorum eadem est) ope optimorum telescopiorum, ex vibrationibus perpendiculi item ex altitudinibus fixarum deduxerunt fuisse horarum 3.

B

53. min.

53. min 20. sec. Ad miraculum igitur cum cœlo consen-  
sit fuitq; omnium felicissima nostra deliquii prædictio, quæ  
in Lucem edita, Reverendiss. Perillustriq; D. D. Matthiæ  
Aloysio Scharcovio S. Theol. Bac. Juris Ulriusque Candidato,  
per Ducatum Oppoliensem & Rattiboriensem in Spirituali-  
bus Commissario, Oppolii Decano, ac Publico Notario Pon-  
tificeo submisissimè à nobis dedicata est. Eandem eclipsim  
observavit R. P. Christophorus Lux Wratislaviæ S. J. Ma-  
thæeos Professor. ac cum esset initium legitimæ eclipseos  
ope tubi optici detectum, cepit altitudinem Procionis gra-  
duum 20. & 15. minutorum. Unde initium trigometriæ be-  
neficiò erutum est incidisse, horā 9. 46. min. 46. Sec. Du-  
ratio deprehensa est. Fuisse 3. horarum, 53. minutorum,  
mora in umbra h. i. 42. 59. sec. tempus immersionis h. i. 5. min.  
Emersionis h. i. 5. min. 1. sec. Eandem eclipsim observavit  
Wratislaviæ Excellentiss. D. Schultius Astronomus ac Med.  
Doctor deduxitq; ex altitudine oculi tauri evenisse initium,  
legitimæ eclipseos h. 9. minutò 45. durationem verò 3. h. 54.  
min. phases & alia brevitatis ergò non apponimus. Blan-  
chini observatio Romana ad acta Eruditorum Lipsiæ relata.  
durationem hujus eclipseos 4. hor. 0. min. 20. sec. fuisse sta-  
tuit, sed hanc propter penumbram conciliare necessum est.  
Nam universa eclipsis spuria cum legitima (ut quivis Wratis-  
laviæ idevenisse testis est.) nec plenè duravit 4. horis ac 15.  
minutis. certissimum item est, spuriam eclipsim plenò horæ  
quadrante initio ac fine non duravisse, si igitur eclipsis legi-  
tima, horæ quadrante absq; tribus minutis, utrinque depu-  
retur à spuria remanebit ad amussim duratio 3. horar. 53. min.  
quantam ferè durationem meus quoq; Astronomiæ Ma-  
gister, R. P. Jacobus Kresa S. J. olim Olomutii & Pragæ nunc  
in Hispania Madriti Matheeos Professor observavit, aliquæ  
complures Mathematici Color in hac eclipsi initio fuit cinereus.  
Sub medium ac in fine croceorubeus ante deliquium Lunam  
cinxit circulus iridis colores repræsentans, ac totò deliquii  
tempore sydera luxerunt intensissimè, post deliquium autem  
aura mox fuit turbulenta. Apparet itaq; tabulas Rudol-  
phinas



phinas à cœlo maximè defecisse, nimirum 27. minutis primis brevior deliquii duratio in cœlo evenit, quam D. Kirchius ex illis supputavit, Argolus quoq; ac cum illo Calendariographi satis sensibiliter defecerè. Nostra verò prædictio cum in duratione item & in mora preleganter satisfecerit, ratione initii tamen parùm discordaverit, nimirum citius deliquium evenit Wratislaviæ 13. minutis quām prædixerim nunc in hac eclipsi usus sum hoc artificiò (quò & Lansbergius in æquatione temporis uti svadet) á reducto plenilunio vero ad tempus apparens, subtraxi intervallum hoc temporis, quò in eclipsi pri- stina aberraveram ut nimirum citius eveniret, quām ostendunt tabulæ. nam hæc eclipsis prorsus easdem conditiones, uti præcedens, obtinet, nimirum æquatio temporis est addenda, Luna ut antea in eodem signo, iterum circa apogæum & deliquium ipsum ferè eodem tempore, & ferè mense, ac eodem cœli loco coincidit &c. idcircò Faventibus SUPERIS, non dubito quin hic & nunc, & initium, & obscurationem, & durationem præ aliis adamus sim prædicturus. Tabulæ inquam Rudolphinæ licet in deliquiis lunaribus deficiant, quoad reliquos tamen planetas præ aliis minùs sensibiliter exerrant ut testatur magna planetarum conjunctio proxima quam omnium optimè Joannes Keplerus attigit, item occultatio Jovis à Luna anni 1686. 10. Aprilis ex iisdem à Clarissimo D. Kirchio celebri Lipsiensi Astronomo supputata. quām etiam utcunq; attigit, uti R. P. Adamus Kochanski Soc. Jesu S. R. M. Mathematicus ac nos quoq; Dantisci apud D. Johannem Hevelium Astronomum famosissimum accuratissimè observavimus.

#### §. IV.

*Assignatur Tempus quò lapsuris annis Luminarium defectus in nostris Provinciis eveniet.*

Notandum intrà annum plura quam 8. deliquia evenire non possunt, duo autem singulis annis necessariò eveniunt. Anno tamen 1687. in nostris provinciis nec in Sole nec in luna ullum apparebit deliquium non enim oportet ut nobis dummodo alicubi terrarum sint Spectabilia Annò verò 1688. die 15. Aprilis apud nos in luna unicum tantum idq; non magnum continget deliquium. Sed Annò 1689. bis, utrumque in Luna horribile



horribile erit conspicuum, nimis 4. Aprilis vesperi, & 29. Septembris mane. Eclipses Solares rarius lunaribus conspicuntur. Hujates Provinciarum ab Anno 1636. usque ad annum 1700. nisi bis, nimis Anno 1694. die 22. Junii ante vesperum & anno 1699. die 24. Septembris circa meridiem defectum solarem intueri poterunt, idque non nimis notabilem, quantum porrò alibi restat accuratè decidendum.

### § V.

#### Quaedam ex Astronomia aliisque Scientiis Mathematicis Problemata.

Licet Romæ tam tenebricosum fuerit, ut in meridie etiam cum facibus & luminibus homines incesserint, ac stellæ de die diutissimè luxerint, nunquam tamen Sol à quo universum stat obscuratus est. 1. Physici dicunt, cum inter Solem & Lunam in medio terra interponitur, tunc nisi lunam naturaliter eclipsari posse saepius tamen Luna stupendè eclipsata est, ubi totus Sol ac tota luna erat suprà Horizontem conspicua, non igitur terra fuit in medio interposita. 2. licet communis Philosophorum sit sensus 7. tantum stellas erraticas, sive 7. planetas dari certissimum tamen est illos dari 14. 4. licet Sacra Scriptura affirmet lapidem molarem à cœlo ad terram debere cadere annis quam plurimis, nos tamen construere scimus, ut idem lapis citius quam intrà horæ minutum à stellis fixis usque ad terram perveniat. 5. Nemo mortalium in terris existens oculis cœlum vidit, nec ullus affirmare potest, quod Solem in veri viderit. 6. Licet sol candidus appareat fulginosus tamen & maculis nigris plenus, ac igneus est. Luna item omnino prout terra montes habet, venus quoque licet semper appareat plena tamen instar lunæ crescentis ac decrescentis lucet. 7. Luna luce deficit, eadem horæ Romæ & Pragæ. ergo Praga 121. germanicis milliaribus distat à Roma, Geographis nota est optima consequentia. 8. Sint mille optimi scribæ certum est, nullus illorum scit Arithmeticam. 9. Sint numeri qualescumque prorsus inæquales, si ad quemvis, eandem summam addas, iterum à quovis, eandem subtrahas, ac per eundem numerum illos multiplices, post omnia tandem proveniet ex omnibus eadem summa, quod artificium in Algebra sanè miraculosum est. 10. licet aqua deorsum fluat, viribus tamen mathematicis sursum, ad datam altitudinem etiam ultrà 1000. millaria in altum deduci potest. 11. Sit imagoquæpiam, prorsus similem vel maiorem vel minorem delineare Mathematicis notum est, quam delineando nequidem ullò modo aspicient. 12. Solam & unicā Mathesim in universo esse scientiam cuique demonstrabimus. ope Opticæ autem ac Astronomiæ præcipue ad Dei cognitionem ejusque amorem deveniri Posse iatis ipse Ecclesiastes affirmat.

O. A. M. D. G.



20302

ULB Halle  
003 867 595

3





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-538358-p0016-1

DFG

## Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow


Green

Cyan

Blue

Centimetres

Inches



# ASTRONOMICA LVNARIS

ovembris, stylò novò.

## Æ Horizonte

uet, Soc. JESU è Riccioli  
ta tabulis, ad complures Eu-  
m Meridianos reducta.

totalis Anni 1685. die 10.  
ue locorum celebrata, ac in-  
edita ,

## LUM TATETIUM

LL. Magistrum, SS. Theo-  
Astrophilum.

acri Ordinis Cisterciensis.  
ACOBUS TEXTOR.